

Kern 226 (1-78)



DISSERTATIO MEDICA INAUGVRALIS
DE
INSIGNI ET PRAESTANTISSIMO
V S V

CORTICIS PERVVIANI
IN MEDICINA

QUAM
DIVINA ADSPIRANTE GRATIA
IVSSV ET AVCTORITATE
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN
VNIVERSITATE ALTDORFINA

PRO LICENTIA
SVMMOS IN MEDICINA HONORES
ET

PRIVILEGIA DOCTORALIA
LEGITIME OBTINENDI
PVBLICIS MEDICORVM DISCEPTATIONIBVS
EXPONET

ANDREAS GOTTOFREDVS
TRETZELIVS
SOLISBACO - PALATINVS.

D. XVI. IVNII A. S. R. MDCCCLXI.



ALTDORFII NORICORVM
EX OFFICINA IOHANNIS ADAMI HESSELII.

DISSERTATIO MEDICA INAVGVRALES

INSIGNI ET PRAESTANTISSIMO

V S V

CORTICIS PERUVIANI
IN MEDICINA

DIVINA ADOPTANTE GRATIA

1755 ET AVCTORITATE

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

IN

VNIVERSITATE ALPENSICA

PRO LICENTIA

SVMMO IN MEDICINA HONORE

PRIMUM DOCTORALIA

1755 ADOPTANTE

PUBLICIS MEDICORVM DISSERTATIONIBVS

EXONCT

ANDREAS COTTORREDDVS

TRITELLVS

SOLISSIMO - P L T I V S

IN VITAE ET MORBIS



ALPHONSII CAROLINI

ET OFFICII JOHANNIS ADAMI HRSZELLII



VIRO ILLUSTRI
DOMINO
GEORGIO LEONHARDTO
TRETZELIO

SERENISSIMI PRINCEPIS AC DOMINI
DOMINI CAROLI THEOD. COMITIS PALAT. AD
RHENVM. S.R.L. ARCHIEPISCOPI AVARANI ET ELECTORIS
A CONSILII AVLICAE CAMERAE PRINCIPALISQUE
SOLISSACENSIS AERARII
PRAELECTO

PARENTI SVO INDVLGENTISSIMO
OMNIOVE PIETATIS ET OBSEQVII
GENERE AD CINERES VSQVE
DEVALENDANO

DISSERTATIONEM HANC INLYCVRALAM
PERRITVAE VENERATIONIS ET GRATITVDINIS
TESTEM

DICAT, DEDICAT, OFFERT
TUIVS OBSERVATIONIS ET OSTENTATIONIS
ANDREAS GOTTFRIDVS TRITZELIVS



VIRO ILLVSTRI
DOMINO
GEORGIO LEONHARDTO
TRETZELIO,

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
DOMINI CAROLI THEOD. COMITIS PALAT. AD
RHENVM, S.R.I. ARCHITHESAVRARIII ET ELECTORIS ETC.
A CONSILIIIS AVLICAE CAMERAE, PRINCIPATVSQVE
SOLISBACENSIS AERARII
PRAEFACTO

PARENTI SVO INDVLGENTISSIMO
OMNIQVE PIETATIS ET OBSEQVII
GENERE AD CINERES VSQVE
DEVENERANDO

DISSERTATIONEM HANC INAVGVRALEM
PERPETVAE VENERATIONIS ET GRATITVDINIS
TESTEM

DICAT, DEDICAT, OFFERT

FILIUS OBSEQVIOSISSIMVS ET OBSTRACTISSIMVS
ANDREAS GOTTOFREDVS TRETZELIVS.





Q. D. B. V.

§. I.



Complura licet iam prostant de Cortice Peruviano specimina, quando Autores de eius singulari usu et efficacia, praeprimis pro febris coercendis et profligandis eum commendarunt, idcircoque illum summis laudibus ad aethera euexerunt, alii autem damna ab eodem observantes ad Infernum detruferunt; Attamen discordia haec me non deterruit vires meas in evoluendo eius singulari usu et praestantia in Medicina periclitari; Lubens equidem fateor, me arduum in me suscepisse laborem, quando in titulo dissertationis meae promissis stare debeo, interim non despero, ubi ea, quae hactenus legi et annotavi modeste prolaturus sum, neminem autem scripto hoc laedere aut traducere intendo.

§. II.

Non opus est, ut in describendo hoc Cortice eiusque loco naturali multum temporis consumam; Nemo enim nescit seculum iam esse, et quod excurrit, ubi Cortex hic per Cardinalem de LVGO, nec non Patres Soc. Iesu in Europa innotuit, quando illum ex America

A

rica

rica in Europam, Hispaniam, Galliam, imprimis et Romam apportarunt, hominesque persuaserunt, iam omnes febres unice hoc remedio, diu desideratissimo, facillime posse extingui et extirpari; Interim hoc addere lubet, Corticem hunc ex India quoque occidentali, et imprimis Regno Americae *Peruano* ad nos adportari, ubi in magna copia prope urbem Logam, seu Loxam, item circa Ayauacam et Queneam crescit, et incolis huius terrae Gannaperis, seu Gannaperide uocatur, Appellatur alias quoque China Chinae, item Kinkina, uel *Quinquina*, item *Kinchona* a Linnaeo. Qui plura desiderat, euoluat WEINMANNI *Phytanthoz. Iconograph. B. D. HVTHII Sammlung und Nachricht von der Fieber-Rinde. Excell. GEOFFROY in sua Mater. Med. Tom. II. p. 179. item Part. III, p. 187. NEVMANNI Praelect. Chem. p. 812. et seqq. B. VALENTINI discursum acad. de China Chinae Miscell. Nat. Cur. D. 3. A. 3. p. 41. app. descriptum, item Exotica Polychresta Eiusdem.*

§. III.

Cum autem scripta allegata in omnium manibus non sint, placuit ea, quae incomparabilis Anglus MORTON. Oper. Tom. II. p. 68. consignauit, paucis annotare, ubi fidem facit, Vice-Regis, Comitissae de Chin Chon Coniugem Pro-Reginam febre tertiana saeuissima et ibi epidemica laborasse, a qua cum per uaria adhibita remedia non potuerit liberari, Rumor autem huius periculose decumbentis Pro-Reginae ad Loxam quoque peruenerit, Hispanus loci istius tunc temporis Praefectus per litteras Pro-Regem certiore fecerit, in arcanis sibi remedium esse, cuius auxilio Pro-Regina illico reconualitura esset, annuit, et Corticem hunc sine mora sumpsit; Quid sit? stupentibus omnibus dicto citius conualuit. Discedente tandem Pro-Regem ex India, ubi in Hispaniam reuersus est, illico percrebuit ubique Rumor de nouo hoc febrifugo, quod etiam post uaria experimenta facta, uotis aegrorum semper et ubique respondit, sicque eius usus
et

et efficacia per Hispaniam, Galliam, Italiam, Germaniamque successue inclaruit.

§. III.

Habuit itaque Cortex hic successu temporis suos Adulatores, qui illum auro et gemmis pretiosorem aestimarunt; Habuit quoque suos Obtretractores et Inimicos pertinaces, qui ubi ex incongruo eius usu et adhibendi inconuenienti modo desideratum effectum non obtinuerunt, tantum de Cortice hoc odium conceperunt, ut teste ill. et B. BRVNNERO, Act. Med. Phys. N. C. Vol. I, obs. 128. ad nomen eius horruerit uulgus, ut etiam perire maluerit, quam per eundem sanari.

§. V.

Iam quaeritur, quanam sit causa, ut Cortex hic a multis tanquam infidum, suspectum et damnosum medicamentum fuerit reiectum, cum tamen alii praestantissimi Medici usum eius laudauerint, magnifecerintque? Qui Corticem hunc reiecerunt, eiusque usum diffuaserunt falsam aluisse opinionem clarum est, cum docuerint, Corticis uires solum esse adstrictorias, quae tamen ad febres extirpandas et delendas non conuenirent, neque sufficerent; Atque haec opinio tam alte Mentibus eorum insidebat, ut nullo modo deleri potuerit, praepremis cum obseruauerint infelices et damnosos effectus ab eius usu, qualis imprimis et lethalis fuit, cuius B. ROMBERGIVS M. N. C. Dec. 3. A. 9. et 10 pag. 201. meminit, ubi ex legione pedestri Serenissimi Principis Saxo-Meinungensis quadringenti pene milites febre tertiana fuere correpti, quibus Chirurgus singulis diebus Corticem hunc ad ʒj. exhibuerat, ast sine ullo effectu, imo potius aperto et manifesto damno; Etenim omnes, qui Corticem hunc assumerunt, hydropici facti libitinae cesserunt in uictimam. Plura euoluantur in Excell. D. Prof. HENRICI diff. de usu Corticis Chin, Chin. febrifugo cauto et suspecto Halae Magdeb. 1713. habita.

A 2

§. VI.

S. VI.

Quaquam autem ex incongruo et intempestiuo usu dicti Cort. febres non profligantur, imo potius uarii grauiore et periculosiores Morbi ut plurimum subsequantur, quis tamen prudentium Medicorum usum congruum et conuenientem idcirco dissuadere aut nigro lapillo notare uellet. Egregie uerba nostra dilucidat Ill. et B. Fr. HOFFM. in propem. quodam inaugurali de Chinae Chinae modo operandi, usu et abusu pag. 4. dicens: "Solenne hoc esse omnibus medicamentis actiuis et efficacissimis, ut abusu degeneret illorum actiuitas in summam noxam et perniciem;" et pag. seq. idem confirmat, ubi dicit: "Hanc esse naturam atque indolem potentissimorum remediorum, ut minus congrue ac inconuenienter adhibita malignum detrimentum uitae et sanitati inferre queant, quod tamen non medicamento imputandum, sed potius peruerso Medici iudicio, qui illo medicamento rite et uti natura ac conditio morbi et subiecti exigat, uti nescit." Falsum enim est, imo falsissimum, Cort. hunc unice agere constringendo. Testatur enim B. HELDIVS ab HAGELSHEIM Consil. quondam et Archiater Baruthinus celeb. Eph. N. C. Cent. 3. et 4. obs. 170. Cort. hunc certissimum esse remedium antifebrile, quoniam non, ut uulgo et falso creditur, adstringendi et materiam febrilem concentrandi, figendique ui esset praeditus, sed potius roborandi, incidendi, aperiendi, resoluendi, abstergeri, praecipitandique fermentum febrile, imo iuxta MONTON, alexipharmaca uirtute ob blandam suam amaritiam et sal acriusculum terreis particulis permixtum, insigni gaudet; modo ante eius usum ratio habeatur primarum uiarum, et ipsius massae sanguineae, et si uentriculus uel intestina cruditatibus pituitoso-acido-biliofis obsideantur, emeticum uel purgans praemittatur. uid. Fr. HOFFM. quæsetesene Casus pag. 66. et Ill. de HAENE P. III. Meth. Med. pag. 73. aperte docet, Cort. hunc duplici, eaque egregia pollere facultate: 1.) quod motus nimios

nimios caloresque moderetur, et 2.) debiliores animet. Possem equidem plura afferre de hoc Cort. Virorum praestantissimorum testimonia, uerum ne tempus inutiliter teram, aut de charta in papyrum exscribam, euolui poterunt B. NEVMANN. in Chemia medico-dogmatica experimentalis Edit. KESSEL. pag. 224. ubi dicit: Cort. hunc constare 1.) ex multis subtilibusque particulis terrestribus, 2.) paucissimis resinosis, 3.) paucioribus gummosis et 4.) paucissimis salinis, quod etiam Ill. GEOFFROY in sua Mat. Med. Tom. II. Sect. I. pag. 184. uberius confirmat. Item Fr. HOFFM. in seinen auserlesenen casibus p. 46. et seq. VALENTIN. in discursu acad. M. N. C. Dec. 3. A. 3. notato.

§. VII.

Obiiciunt quidem aduersarii huius Corticis multa ac uaria inueniri illius Succedanea, a quibus idem effectus, febres nempe profligandi et sufflaminandi obtineri possent, uidelicet Rad. Bistort. Plantag. Tormentill. Pentaph. Cort. Querc. Prun. Sylv. Hippocastan. item Alumen, Bolus, Saccharum Saturn. &c. ut non necesse sit, ad Corticem hunc confugere, praeprimis cum ante eius cognitionem febres quoque a praestantissimis Medicis fuerint domitae et curatae.

§. VIII.

Verum enim uero; sicut alia res est, febres funditus debiteque eradicare, alia autem harum motus salutare, et a NATVRA contra materiam quandam noxiam in corpore praesentem institutos duntaxat sufflaminare et suppressere; Concedo itaque lubentissime allegata ex regno uegetabili et minerali desumpta succedanea, uim habere motus febriles et salutare sufflaminandi et suppressendi, quoniam unice agunt adstringendo: Quis autem unquam dixerit, febres hac ratione esse curatas? Reciduae enim quas saepius experiuntur febricitantes, uel grauiore morbi, scilicet hydropico-ascitici, phthisici, hectici

ci, paralytici, imo gangraenosi et sphacelosi', qui eas suppressas sequuntur, satis restari possunt de infirmitate, imo temerario usu horum succedaneorum.

§. VIII.

Diuinæ bonitati itaque in acceptis ferendum, gratiæque aeternæ dicendæ potius sunt, quæ generi humano in solatium largiri uouerit tam nobile laudabileque medicamentum, quod non solum utrique sexui, uerum omni ætati, infantili, iuuenili et senili optimam semper præstat medelam, vid. Excell. TRILLERI *diff.* de usu Cort. Peruu. in Infantibus, Grauidis et Senibus, uerum maxime in febribus tam salutarem promittit usum. Siquidem B. et Excell. FR. HOFM. propem. dicto p. 5. scribit: meam si interponere licet experientiam, ingenue et aperte fateor, me insignissimam non solum in febribus debellandis, sed et in aliis morbis expedite curandis in hoc simplici deprehendisse efficaciam, ut iure illud omnibus hucusque notis medicamentis anteferre non erubescam: Plures sane orco proximi hoc diuino auxilio seruati sunt, et quos uel ipsæ febres, uel ex illis alii propullulantes grauissimi morbi, iam dudum neci dedissent, illi auspiciatissimo euentu sanitati perfecte restituti sunt; Imo nullum simplex mihi cognitum est, quod tanta uirtute polleat, uel simile efficere possit. Quapropter secundum DYGBÆVM culpandus potius Medicus est, quam nobilis Medicina, si post eius exhibitionem unquam reuertatur Febris, imo sancte affirmat ex triginta quartana detentis, quos hoc solo remedio curauit, ne uel duos relapsos fuisse, id quod etiam WILLISIVS Cap. 6. de febb. affirmat, dicens, uix e centum unum hoc remedio adhibito non conualuisse, Euoluatur insuper ill. WERLHOF. in aureis suis obseru. de febb. pag. 30. et 259. et seqq. irem Act. Hafniens. Tom. V. pag. 287.

§. X.

Quemadmodum extra omnem dubitationis aleam positum est, quicquid alii ganniant, Cort. hunc in febribus intermittentibus præstantissimum

fimum atque securum esse Debellarorem, ita quoque Heroem se praestat in propulsandis febribus acutis, petechialibus, miliaribus, item Variolis et Morbillis epidemicis et malignis. Paradoxum hoc esse multis uidebitur, quando Cort. huic tam mirabilem effectum in morbis epidemicis et malignis tribuo, qualem in febribus intermittentibus ei adscripsi, cum tamen febres hae ratione causarum et symptomatum ab intermittentibus toto coelo differant, Malignitas enim, quae in morbis acutis adest, et proprie in summa et excessiua humorum acrimonia uel sulphureo-salino-acri, uel acido-salsa consistit, quae pro ratione indolis suae et actiuitatis Massam sanguineam vel ad coagulationem, vel dissolutionem, consequenter summam corruptionem, partes autem uisceraque ad gangraenosam uel sphacelosam corruptelam disponit, nunquam, vel raro admodum observatur in febribus intermittentibus, Symptomata quoque, quae in acutis obseruantur, notantur multo grauiora periculosioraque; Cum e contra intermittentes duntaxat in turbata massa sanguinea, hincque inducto spasmo systematis nervosi teste Fr. HOFFM. in seinen auserlesenen casibus, pag. 62. uel uitio primarum uiarum in tertianis, aut uiscerum hypochondriacorum infarctu in quartanis quaerendae sint, symptomataque adsint multo mitiora; propterea etiam dubitant, Corticem hunc in utraque febrium genere conuenire aut fructuose adhiberi posse.

§. XI.

Verum mirari desinent, si modo considerent, 1.) Cort. hunc praeter terreo-salinas, multas quoque resinoso-gummosas et balsamicas amaricantes, uno uerbo alexipharmacas in se habere particulas, quae corruptionem illam et totalem destructionem optime anteuertunt NATVRAMque roborant, ut eo alacrius feliciusque Miasma ab extra intro delatum, sub motibus hisce aduictis subigere, et sub crisi perfecta, uel imperfecta expellere queat. 2.) Aliorum praestantissimorum Virorum testimonia et experientias reiicere, aut in dubi-

um

um uocare nolint. Teste enim Cicerone usus omnium magistrorum praecepta superat ; Hinc quoque Medicus rationalis teste illustr. et B. HOFFMAN d. I. usu et experientia Medicamentorum imbutus esse debet, ut longo temporis usu confirmata adhibeat Medicamina, illisque bene et cum ratione utatur, abusum autem, seu usum intempestiuum et praeposterum omnibus modis fugere sciat.

§. XII.

Agnouit hoc suo tempore iam B. APINVS Prof. quondam huius Academiae celeberrimus, quando Corticem hunc multo cum fructu et nominis sui celebritate in febribus Herspruccensium 1694. et 95. epidemice grassantibus, adhibuit. Vid. Eius relatio historica Febr. epidem. et petechial. Hersprucc. grassantis: expressis enim uerbis in praefat. scribit, se experientia notasse, Cort. Peruu. in continuo non minus felicem, et quod plus est, ut plurimum sensibiliorem praestitisse effectum, quam in ipsis intermittentibus ; et ill. de HAENE in Rat. Meth. medendi P. I. II, III, IV. et V. aperte docet 1.) Cort. Peruu. in malignarum debilitate egregium esse et incomparabile Cardiacum. 2.) Eundem esse in summa corruptione interna et externa inimitabile alexipharmacum : Hinc etiam clariss. LAESEKE in tract. von auserlesenen Mitteln pag. 436 Corticem hunc inter quatuor potiora cordialia, qualia sunt succus Citri, Nitrum et Camphora retulit ; Et Act. Edimb. P. V. pag. 724. Cortex hic summum Cordiale et confortans uocatur ; imo quod in peste ipsa conveniat, et uera sit antidotus testatur das Hamburgische Magazin T. VII, P. III, pag. 277.

§. XIII.

Quamuis tanta testimonia facile quemuis conuincere ualeant, credo tamen multos adhuc esse incredulos, pernicaces, qui praepudicis capti, diuersis fidem haud adhibebunt, hos ad attentam sectionem Obseruat. de febribus Viri illustr. et Excellentissimi laudeque mea longe superioris D. D. WERLHOFII, item PRENGLII

PRENGLII de Febb. castrenf. FRANC. TORTI Therapeut. special. ad perfanandas febres China Chinae perniciosas quascunque. Sic porro notatu digna observatio prostat im Hamburgischen Magazin, 8ten Theil, 5ten Stück, pag. 507. et seq. de Serenissimo Principe gravissime in praelio uulnerato, febre uulneraria uehementissime afflicto, dicto Cortice perfecte sanato.

§. XIII.

Sed mittam nunc Febres, et ad alios affectus Caput inprimis infestantes, progrediar, inter quos duorum saltem mentionem faciam, qui tamen Medicum et Ægrotantem saepe sat diu torquent, et uocantur Cephalaea et Hemicrania. Prior totum Caput, alter autem duntaxat unum eius latus occupat. Vterque affectus partim ab infarctu humorum ex congestione incompleta, maxime autem a spasticis fibrarum meningearum, seu membranaceo-neruearum constrictione, et hanc excipiente Atonia, inducitur, praepremis cum teste MALPIGHIO in Epist. ad Fracassat. de Cerebro, si non dimidia, tertia tamen pars sanguinis a corde ad caput feratur, cognitu hinc facile est, qua ratione sanguis quantitate peccans, uasa sanguifera p. n. distendit dolorificeque afficit, qualitate autem sua uitiosa partes capitibus internas continuo irritat, et ad contractionem spasmodicam stimulat, ut hinc non male fecisse uideantur Autores, qui utrumque affectum ad affectus rheumatico-arthriticos retulerunt, proptereaque etiam in utroque malo Corticem Peruuianum debite adhibitum omni tempore praestantissimum obseruarunt; Sic B. GRIMMIVS Eph. N. C. Cent. 3. et 4. obl. 62. Cort. hunc in Rheumatismis et Cephalaea inueterata ter de die ad ℞j. optimo cum successu et effectu exhibuit, postquam a multis annis variis experimentis eum ui stomachica, incidendi, resoluen- di, aperiendi et aliquo modo laxandi, neuiquam autem adstringendi didicerat; Imo RIEDLINVS in suis lineis in Cephalaea exacte periodos suas quotidie seruante Corticem hunc cum cinnabari natua

B

ma-

maritatum desideratissimam opem tulisse pag. 132. refert, quod etiam confirmat Illust. et Exc. WERLHOF, in suis Obseru. pag. 250. Et Act. Med. Phys. N. C. Vol. I. pag. 169. notatu et lectu dignissima Observatio Illust. et B. NEBELII prostat de Hemicrania uehementi et inueterata Cortice Peruu. tandem discussa.

§. XV.

Relicto capite ad Pectus transeo, ubi inter Affectus Pulmones crebro infestantes, salutariter tamen a Cortice nostro propulso et sublato nominare sufficet, Asthma, Phthisin et Haemoptysin. Quemadmodum autem Asthma in genere dicitur liberae respirationis praecclusio, sub qua aegri dense crebroque cum anhelitu, sono ac stertore respirant, principaliterque in aëris et sanguinis com-
meatu reciproco et libero per pulmones transitu intercepto, consistit, et partim ab humoribus uiscoso-pituitosis uesiculas pulmonales tubulosque bronchiales comprimentibus, et Atoniam inducentibus, partim a spastica fibrarum membranaceo-nervearum pneumonicarum et intercostalium constrictione oritur atque fouetur; Ita quoque Corticem Peruu. in utraque Asthmatis specie, partim resolvendo et Atoniam corrigendo, partim demulcendo spasmusque relaxando, roborandoque fibras dictas, singularem praestare utilitatem testantur Celeberrimi Obseru. Scriptores. Sic antea citatus B. NEBELIVS Act. Med. Physic. N. C. Vol. VIII. Obs. 114. Asthma grauissimum instar quartanae periodice recurrens, usu Corticis huius curatum fuisse refert. Et Ill. et B. BRVNERVS Lib. BARO de BRVNN Nou. Act. N. C. Vol. I. Obseru. 128. eundem Cort. in Hebraea grauida, febre et hydrope afflicta, quae saepe noctu ob spirandi difficultatem e lecto ad captandum aerem sese proripere coacta fuit, adhibitum, summe proficuum et salutarem expertus est.

§. XVI.

Quod in Phthisi seu uera pulmonum exulceratione Cortex hic spe-

specificam quasi uirtutem exerat, singulariterque conueniat, nemini mirum uideri poterit, qui considerat, quod in omni Phthisi particulae purulentae et acres sanguini in pulmonibus omni tempore admisceantur, quae massam sanguineam in crasi sua et mixtura turbant et destruunt, unde febris subdola, lenta uel hectica uires consumens et nutritionem impediens, oritur atque fouetur. Solliciti equidem omni tempore fuere Medici praestantissimi, ut medicamentis balsamicis ulcus pulmonum debite abstergant, mundificent, et ad consolidationem (quae tamen opus solius Naturae est) disponant, idcirco enim Decocta uaria et Infusa herbarum nostratium et exoticarum, item Pulueres uarios, Essentias atque Tincturas, Balsama item natia et artificialia, Aquasque minerales praescripserunt. Licet autem haec medicamenta in se, et si debito tempore, suo ordine, et sub debita circumspectione adhibeantur, insignem praestent usum; attamen si febris praesentis manifestae, uel subdolae extinguedae et eradicandae nulla habeatur ratio, symptomatibusque praesentibus duntaxat leniendis tempus perdatur, quid mirum, si Teste MORTONO Phthis. pag. 216. labor medentium superuacaneus sit, et tam pauci curentur phthisici, sed ob calorem febrilem internum Corpus contabescat, et ut lampas ob olei defectum extinguantur, libitinaeque cedant in uictimam.

§. XVII.

Quapropter Medicus religioni sibi ducat, phthisi laborantem Medicamentis duntaxat cordialibus uel refrigerantibus, guten Kräfftigen, und Herzkstärkenden Arzneyen, uel ita dietis antiphthisicis remediis morari, aut sub uariis, aut uanis promissionibus sanitatis restituendae, fatigare: Quid enim impedit, quo minus Cortex hic in usum uocetur, cum DEVS ipse nobis Europaeis eum non inuiderit, totque testimonia praestet, eum salutariter, optimoque cum effectu semper fuisse exhibitum. Sic MORTON. Lib. 3. oper. Cap. 5. pag.

286, Cort. hunc super omnia in Phthisi haemoptoica, praeprimis (quoniam haec saepissime morbum hunc antecedit et producit) acuta et periculosa multorum annorum experientia edoctus commendat. Imo ipse Ill. et B. FR. HOFFMAN. cuius memoria cum orbe literato interibit demum, eundem in Phthisi et Hectica Med. systemat. P. I. T. IV. pag. 574. prae aliis commendat.

§. XVIII.

Quando porro sanguis cum impetu, floridus tamen, et spumofus, cum vel sine tussi reicitur, Haemoptysis audit; Affectus alias iuuenibus Teste HIPPOCRATE Sect. 3. Aph. 29. familiaris, quoniam hac aetate omnis motus sanguinis ad pectus a NATVRA immiautionem eius postulante, dirigitur. Hic equidem antiquis temporibus ad sanguinis perruptionem inhibendam adstringentia in usum uocabantur; Verum Euentus docuit, ea spem optatam raro admodum impleuisse, imo potius uasa sanguifera stringendo maiorem effluxum concitasse et promouisse, consequenter phthisin hecticamque febrem post se reliquisse. Vid. Noua Act. N. C. Vol. I. pag. 329.

§. XVIII.

Postquam autem recentiorum Industria Corticis Peruu. naturam et efficaciam cognouit, hunc in Haemoptysi adhibuerunt, et salutarem effectum in ea moderanda et domanda omni tempore experti sunt, quia motus nimios caloresque optime corrigit, temperat, pulmonumque tonum restituit, sanguinem extrauasatum resoluit, sicque puris generationem, et ipsorum pulmonum exuleerationem impedit et anteuertit. Legi idcirco merentur, quae MORTON. in Phthif. sua de hoc Cort. scripta reliquit. Libro enim 3. Cap. 5. p. 286. dicit: super omnia uero in phthisi haemoptoica et periculosa Cort. Peruu. usum, forma aegrotanti quam gratissima, multorum annorum experientia edoctus commendo, et pag. 281. Cort. hunc herculeam antidotum Haemoptoes nominat, asseritque, ab eodem egregias uires in praesentis febrilis efferuescentiae sanguinis extinctione semper felicissimo cura successu expertum esse, quotiescumque eum in usum uocauerit; et sic-
uti

cui praesentem Haemoptoen cito et tuto sistit, et futuram quoque praevenerit; Ita Haemoptoen hoc modo curatam nunquam in phthisim terminari viderit. Hinc etiam Clariss. WAGNER, Vol. VII. Nou. Act. N. C. app. orbi erudito novam methodum communicavit, auertendi et curandi Haemoptoen, exhibendo scil. Cort. Peruu. pulvere absorb. Ill. et B. WEDEL. mixtum, quae methodus hactenus etiam omnem expectationem ubique implevit. Sic ipse recordor, Spectatiss. Dom. Decanum, D. D. JANTKIVM, Academiae huius uenerandum Seniorem, Patronum atque Promotorem studiorum meorum ad extremum usque vitae halitum omni uenerationis et obseruantiae cultu prosequendum, in aliquibus studiosis haemoptoicis eandem methodum seruasse, et effectum desideratum felicissime consecutum esse.

§. XX.

Similem efficaciam laudabilem praestat Cortex noster in aliis quoque affectibus haemorrhagicis, uidelicet Vomitu cruento, Haemorrhoidum, Mensumque nimio fluxu, ipsaque Vteri haemorrhagia. Quemadmodum enim sanguis hic saepe cum impetu erumpit, et aegrotantes in summo versantur periculo, ne ob sanguinis ad instar rapidi torrentis immanem iacturam in uitae discrimen incurrant, hic sane nihil praestantius est Cortice hoc Peruu. non quod adstringat, et hac ratione sanguinis profluum inhibeat, sed quia orgasmum temperat, dyscrasiam massae sanguineae corrigit, fibrositatemque eidem conciliat, partes autem spastice constrictas blande relaxat, flaccidas uero roborat, tonoque suo restituit, consequenter aequalem sanguinis per Corpus distributionem promouet. Vid. DETHARD. D. I. pag. 16. Noua Acta N. C. Vol. I, Obs. 82. p. 334. Excell. WERLHOF, D. I. p. 53.

§. XXI.

Et quid dicam de grauidis abortum saepius iam perpeffis? Frequentius sane nihil, quam quod grauidae, quam primum sanguis



ex genitalibus earum erumpit, rursus abortum metuant, praepri-
 si hunc saepius iam sint perpeffae, sanguisque ex ipso utero promanet :
 Cum enim talis crebrior embryonis reiectio insignem uteri debilita-
 tem indicat, quae deinde ex leui causa, saepe etiam duntaxat ima-
 ginaria, uterum spastice afficit, foetumque expellit, et quidem sub
 profusissima haemorrhagia, nihil sane praestantius est, fluxum hunc
 inhibendi Cortice hoc Peruu, ; Dum enim motum sanguinis conci-
 tatiorem inhibet, irritationem et spasticam contractionem fibrarum
 Vteri demulcet, bandumque tonum iisdem restituit, merito quoque
 omnibus aliis antispasmodicis, Teste Celeb. WAGNERO d. J.
 praefendus. Vid. etiam Noua Act. Med. Physf. N. C. Vol. I. Obf.
 82. p. 334. nec non Excell. TRILLERI Diff. de Cort. Peruu. Grauidis,
 Senibus et Infantibus salutari, Witteberg, 1758. habita, pag. 24. ut hinc
 intrepide concludam, Cort. hunc amicum esse praesidium et Arca-
 num a Summo Conditore generi humano, et in specie sexui sequiori
 datum, quo mediante abortum praecauere, et foetus ad maturita-
 tem in Vtero conseruare et detinere queant. Labet uerba haec e-
 gregia obseruatione noua confirmare, quando Spectatiff. Dn. DECA-
 NVS feminam quandam, quae profusissima Vteri haemorrhagia sae-
 pius laborauerat, abortumque aliquoties ob uteri insignem debilita-
 tem perpefferat, tandem uariis incassum adhibitis, Cortice hoc ita
 restituit, ut non solum haemorrhagia cessauerit, uerum etiam no-
 uiter grauida facta, foetum ad iustum pariendi tempus gestauerit, ui-
 uumque suo tempore per partum excluserit.

§. XXII.

Intermittere haud possum, quin iam prolatis, uerba citati Excell.
 TRILLERI in dicra diff. adiiciam, dicentis: "Discant autem interea ex-
 "inde Medici, arte nondum satis exercitati, usuque confirmati, ne in-
 "posterum inani metu trepident, ubi curandas susceperint feminas gra-
 "uidas febricitantes, nec temere reformident, ipsos illos februum
 "acrius

"acrius insurgentium uehementes insultus in ipsis statim primordiis,
 "potentissimo Corticis Praesidio, animose ac fortiter reprimere;
 "quin potius sciant, generosissimum illud remedium non solum tum
 "Febres fugare, foetalque feminas ab acerbo abortu ita defendere, ut
 "lubricos quidem partus ad maturitatem continere possint: Sed
 "etiam nouis insuper uiribus induere matres aeque ac teneros foetus,
 "quo illae exacto demum tempore, arduos partus labores eo
 "melius adire, ac fortius perferre, hi autem robore quasi aucti, tanto
 "facilius felicisque materna claustra percurrere, et in dias luminis
 "auras euadere ualeant.

S. XXIII.

Sed progredior nunc ad Affectus rheumatico-arthritis et podagricos, inquisitionis, an Cort. Peruu. hic quoque commode et secure in usum uocari queat. Sicut autem dicti Affectus, uidelicet Arthritis, Podagra, Gonagra, Chiragra et Malum ischiaticum in motibus spasmoticis partium fibroso-neruosis ad expressionem haemorrhoidum e minus tendentibus, tum reluctatoriis, tum restagnatoriis undique dolorificis, et nonnunquam inflammatione coniunctis, consistunt; Quid quaeso salutaris praestantiusque excogitari, et in usum uocari poterit Cort. hoc Peruu. modo debito tempore, ordine et quantitate requisita adhibeatur? Testantur siquidem optimi praestantissimique Autores, dolores arthritico-podagricos omnium optime usu dicti Corticis, irritis aliis omnibus, fuisse sopitos, ut etiam B. D. HELDIUS a SYDENH. edoctus, Cort. hunc Remedium antipodagricum sine pari appellauerit; Et B. et III. L. BARO BRUNNER de BRVN M. N. C. Dec. 3. A. 7. et 8. obs. 207. refert, Illustriss. quandam feminam uehementissimos expertam fuisse dolores ischiadicis, nullis remediis cedentes, imo quod magis mirandum, dolorem hunc non tantum periodice fuisse exacerbatum, sed et in ipso Paroxysmo obambulare potuisse, imo ex dolorum uehementia currere coactam fuisse; In hoc miseriarum cumulo solus Chinae Chinae usus miranda praestitit, et quidem spe-

specifica eius uirtute, qua et lentorem fluidorum et crassitiam correxit, et particulas sui ordinis fermentatiuas seu febriles emendauit. Excell. D. D. FURSTENAU, Act. Med. Physf. N. C. Vol. VIII. p. 358. refert, se a celebri Amstelodamensium Medico Practico audiuisse, se Arthritidem saepius solo Cortice hoc curasse.

§. XXIII.

Impenderunt equidem omnem curam Recentiores, ut per uaria Remedia et Auxilia dolores podagricos leniant, aut in totum auferant: Excogitarunt hinc DECOCTA uaria Lignorum et Radicum, quale imprimis est Decoct. antipodagr. a Celeber. D. D. BEHRENS in Eph. N. C. Cent. 1. et 2. p. 157. descriptum. Alii Infusum spirituosum laudant magis Act. Med. Physf. N. C. Vol. IX. p. 23. app. notatum, Rursus alii *Essent.* Aristol. rot. uer. et clemat. eligunt. Alii *Pilulas* ex Terebinthina, Polio montano, uel Chamaepity paratas extollunt, Vid. Act. Physf. N. C. Vol. IX. p. 10. app. Rursus alii *Bryon. Fol. Raphani rustic.* alii *Moxam* externe adhibendam suadent; Alii denique ad *Vescatoria* ipsa parti dolenti applicanda descendunt, M. N. C. Dec. 3. A. 5. et 6. p. 151. app. uel *scarificationem* in parte dolente instituendam suadent. B. FR. HOFFM. Med. Consult. P. 3. p. 204. Denique alii *ad ipsa Narcotica* interne et externe, qualia sunt Emplastra et Cataplasmata, confugiunt, unice intenti, ut dolorum saeuitia pro nunc tantum mitigetur, utpote quod Celeb. RAYGER. suo tempore iam notauit, quando M. N. C. Dec. 3. A. 2. obs. 23. dicit: " Omnes tantum in eo sunt, ut dolores leniant, aut si
" causam respiciunt, cathartics impuritates corporis saltem euacuare
" laborent, formale Morbi negligentes, aut tollere non ualentes:
" Hinc ut plur. leuioribus et diuturnioribus stipata cruciatibus, ut tan-
" dem cum illis Medicis in Tragopodagra Luciani fateri cogantur.
" Pharmacum neque meum, neque aliud potest tuum, (O Podagra!)
" inhibere cursum, sed suffragiis omnibus omnem gentem uincis
" mortalium,

§. XXV.

Cum uero omnia haec incerta sint dubii effectus, iniuriosus esset Medicus, si aegrorum cruciatibus grauissimis et diuturnis relinqueret expositum, cum certiora non desint Remedia dolores leniendi et tollendi. Inter haec autem Cort. Peruu. esse, cui Gloria haec prima competit, Testem rursus adduco B. D. D. HELDIUM ab HAGELSHEIM. Is enim Eph. N. C. Cent. 3. et 4. obs. 170. expressis uerbis dicit. „Ego hactenus in Praxi mea Cort. hunc non granis, sed plerumque ad ℥j. uel ʒss. ordinavi, et quidem *praeseruatue* semel uel bis in Hebdomade, *curatiue* uero malo iam appropinquante, mane et circa noctem assumere iussi, et sine Topicis tumor et dolores breui remiserunt, febris in Paroxyfmo cum calore praefens mitigata, et Appetitus ciborum, alias imminutus, uel plane abolitus, resuscitatus et integer seruatus, imo Paroxyfmus omnis breui sublatus. Cortex enim noster ob blandum saporem amarum fermentum gastricum uitiosum, idque uel acre biliosum, aut uiscidius acidum immutat, simulque, quod magnum in podagra Beneficium, aluum apertam seruat, sanguini quoque uigorem conciliat, eiusque Acrimoniam corrigit, ac fibras tendinosas nerueas roborat et solatur, sicque spasmodicas surarum et aliarum partium contractiones et anteuertit et abigit; Anodyna etiam uirtute pollens, et blandum somnum inducit, et dolores demulcet, nec minus Cardiacum est, et collapsas uires restaurat; Vno uerbo: Cortex Peruu. in Podagra diuinum est Remedium, quod multiuiga Experimenta edoctus, certo et firmissime asseuerare non nequeo.

§. XXVI.

Quod autem iam de Affectibus rheumatico - arthriticis et podagricis dixi, inque iis Cort. nostrum commendauimus, id ipsum etiam de aliis affectibus spasticis, uidel. Passione hypochondriaca et hysterica intelligendum est. Quemadmodum enim hi Affectus simili-

C

liter

liter in spasmis circa Viscera abdominis pronatis, consistunt, hi autem omni tempore Atoniam post se relinquunt, facile iudicatu est, omnem curationis partem unice eo dirigendam esse, ut sublata causa primaria, sanguinis scil. abundantia et spissitudine, uel Dyscrasia uaria correcta, Tonus partium debite restituatur; quae autem restitutio multum a Cort. nostro dependet, testantibus inprimis SYDENH. et D. D. TRALLES Nou. Act. N. C. obs. 82.

§ XXVII.

Ex eodem fundamento, quod Cortex hic sanguinem et reliquos humores attenuet, fluxilesque reddat, consequenter aluum et urinam promoueat, fibrositatem sanguini restituat, partibusque debilitatis Robur conciliet, uis quoque antihydrica deducenda est. Lisset enim Hydrops in Extrauafatione et collectione seri lymphatici in uariis corporis partibus consistat, nemo tamen credat, hanc esse primariam affectuum hydropicorum causam: Atonia potius grauior uel remissior est, ob quam tales p. n. partium distensiones, tandemque Rupturae uasorum lymphaticorum sequuntur; Quamprimum enim Tonus hic, qui in debita fibrarum tensione consistit, qua mediante humores sine ulla remora ad partes admittuntur et transpeluntur, consequenter Corpus debite nutriti, Se-et Excretiones debito modo peragi possunt, mutatur, flaccescit et relaxatur, aequilibrium quoque mox inter solida et fluida turbatur, Circulatio sanguinis tardius procedit, Se-et Excretiones adeo necessariae imminuuntur, humores lentescunt et spissescunt, serum autem, quod alias tanquam humor inutilis et excernendus Excretionem omni tempore subit et expectat, in corpore augetur, uasa ultra modum distenduntur, tandemque disrumpunt, serumque in Cavitates uarias effunditur, et p. n. colligitur, statusque hydropicus inducitur. Quid quaeso rebus sic stantibus consultius est, Restitutione Toni? Hoc enim restituto, Circulus sanguinis fit uegetior, Obstructiones et Infarctus Viscerum



referantur et soluantur, humores autem ipsi suo motui et libertati restituti, facilius depurantur, particulae heterogeneae et morbosae per conuenientia loca excretoria e corpore proferuntur. Ideirco frustra laborant, qui morbum hunc Purgantibus, drastice inpr. et Diureticis praecalidis aggrediuntur, eumque expugnare audent, cum malum potius exasperent, laesiones autem iam factas, magis magisque augeant, aegrumque uitae periculo subiiciant. Sic ipse recordeo Spectatiss. Dn. DECANVM D. IANTKIVM ante plures Annos laudata methodo Illustrem Virum Hydropico - Asciticum factum perfectae sanitati rursus restituisse. Vid. Diff. B. El. FRIDER. HEISTERI, de Hydrope et Quartana per Cort. Chin. Chin. curatis, it. Noua Act. N. C. Vol. I. Obs. 96.

§ XXVIII.

Quod porro Cortex Peruu. in Gangraena et inde inducto Sphacelo omnibus aliis Medicamentis et Auxiliis praefendus sit, testantur recentium Scriptorum, et in specie Anglorum Observationes. Quemadmodum autem Gangraena, Teste B. BRVNONE, Prof. quondam huius Acad. celeberrimo, in Lexico Medico pag. 357. uocatur partis alicuius ob Inflammationis, qua conflictatur, magnitudinem incipiens Mortificatio et Corruptio, quae tandem in Sphacelum, extincto omni calore, abit, cum uel sine ulcere, aegrique in summo uersantur uitae periculo, ita Medici et Chirurghi omni tempore solliciti fuere, ut internis et externis Remediis periculum auerterent, Massam Sanguineam a totali Corruptione defendant, partes autem mortificationem iam passas quouis modo amoueant. Adhibuerunt ideirco uaria, scilicet Muriam Brasicae acidae Misc. N. C. Dec. 1. A. 3. p. 463. Alii Poma putrida contusa applicarunt; BARTHOLIN. Misc. N. C. D. I. A. II. Obs. 2. extollit Aquam marinam, cui Absinthium est incoctum. Alii *Cataplasmata* ex farina Fabar. Orobi, Lupinor. puluereque Scord. et Flor. Sambuci cum Aqua Sambuc. et Oxymelle simpl. parata, imposuerunt.

C 2

Alii

Alii *Epithemata* ex Aqua Calc. viv. Spir. Vini Camphorato, Spir. Salis Armoniaci Vinoso, Spir. Tart. uel Terebinth. Ess. Scord. Myrrh. Castor. Ase foetid. composita, adhibuerunt. DYGBI in den Heimlichkeiten der Natur p. 134. præ aliis commendat Spir. Salis. B. IO. MAVR. HOFFMANNVS. Miscell. N. C. Dec. II. A. 6. laudat Vngu. Aegypt. magistrale Hildan. Melle Rosar. mixtum. Act. Med. Berolin. Dec. I. P. IV. p. 62. laudibus effertur *Emplastrum nigr.* Chirurgor. B. FR. HOFFM. Med. Consult. P. I. pag. 229. extollit Oleum Caryoph. dest. Spir. Vin. rectificatiss. solutum, adhibitum, et Excell. D. D. DELIVS Prof. Erlang. Celeberr. in Amoenit. Med. Dec. IV. Casu I. p. 259. celebrat Oleum uel Ess. Cinamom. saturatissimam applicatam, ut alia taceam.

§. XXVIII.

Quamuis uero omnia hæc in diuersis Casibus bene se gesserint, laudabilemque usum quandoque præstiterint, attamen ad Efficaciam et constantem uirtutem Corticis nostri haud accedunt. Siquidem Observationes Medicorum et Chirurgorum Anglicorum testantur, nihil præsentius Gangraenam aut Sphacelum sistere, Cortice hoc Peruviano, dummodo conuenienter et in sufficienti quantitate, sumatur. Etenim iam supra §. VI. ex MORTONO et B. HELDIO ostendi, prælaudatos Viros insignem Cortici huic attribuisse uim alexipharmacam, quid quaeso conuenientius esse poterit Cortice dicto, quando particulis suis blandis amaricantibus et salinis acriusculis, seu alexipharmacis Massam sanguineam ab intima Corruptione defendit, intimumque destructionem et mortificationem seu necrosin totalem auerit: Superuacaneum esse iudico, Testimonia hic præstantissimorum Medicorum Anglicorum et Germanorum adducere; sufficiant hic loca annotare, quæ nos certos de Efficacia huius Corticis reddunt. Euoluantur idcirco ACT. EDIMBURGENS. Tom. II. pag. 506. T. III. p. 30, 50, 75. T. IV. p. 55. et seqq. T. V. p. 109. B. VA-

B. VATERVS Diff. de Efficacia admiranda Chinae Chinae ad Gangraenam sistendam. 1734 Vitenb. habita. B. D. D. HVTH in Tract. oder Sammlung und Nachrichten von der Fieber-Rinde.

§ XXX.

Quamquam autem hic Corticem Peruvianum tanquam insigne alexipharmacum supra iam §. 6. et 12. commendavi, neutquam tamen alia Bezoardica reiicio, aut omittenda esse; Siquidem praesens febris intensa, statusque gangraenosus uel sphacelosus sui Correctionem, ulterioremque Corruptionis Massae sanguinae inhibitionem maxime requirit; idcirco *Pulu. Bezoard. SENN. et WEDEL. VIEN. et ROLWAG. nec non ANGLIC. de KENTH, e Chel. Cancror. DECK, It. Mixt. simpl. et rectificata, Ess. Alexiph. STAHL. Scord. simpl. et composita, Bezoard. BRAND. Galeg. Vincetox. Spiritus Bezoard. BVSS. Potioque alexipharm. SORBAIT. interpositis lutiis ex Aqua Scorzon. Carduiben. Galeg. Vimar. Rubi Id. Scord. compos. Nor. Prophylact. SYLV. e Citro toto et e Typh. Ceruor. Cordial frig. additis Syrup. Acetos. Citr. Contraieru. Granator. Cerasor. acidor paratis etc. utilissime in usum uocari poterunt.*

§. XXXI.

Denique Coronidis loco lubet etiam insignis Efficaciae Corticis nostri in Mensibus pellendis et Vermibus enecandis et expellendis mentionem iniicere. Qui Principia constitutiva Corticis nostri respicit, Experimentiasque aliorum praestantissimorum Virorum sedulo attendit, et diudicat, facile conuincetur, Corticem hunc in mensibus promouendis singularis usus esse, quoniam Massam sanguineam a uisciditate liberat, attenuando scilicet fluxilemque eundem reddendo, partibus autem ipsis Tonum et Robur natium restituit, sine quo Effectum desideratum nunquam obtinere licet; hinc etiam B. LEDELIVS Mi-

scell. N. C. Dec. III. A. 2. Obseru. 49 de peculiari Corticis huius
 ui emmenagoga differit, et eius singularem usum commendat.

§. XXXII.

Eadem fere est Ratio Vermium enecandorum et expellendorum:
 Cum enim omnia amara Vermibus sint infensa, quid mirum, si etiam
 Cortex hic, propter amaritiam suam Vermibus admodum sit aduer-
 sus et inimicus; hinc etiam est, ut MEDICI VRATISLAV. in
 Histor. Morbor. de Anno 1699. eundem inter eximia anthelminti-
 ca numerauerint, et LEDELIVS in allegata Obseruatione 49.

ualdopere eum commendauerit.

D. T. O. M. S. L. H. et G.



Inge-

Ingenium follers, Ars, Experientia cauta,
Laudatum Medicum conspicuumque dabunt,
A puero didicit noster puerilia quondam
TRETZELIVS, IUVVENIS dat documenta Viri.
Corticis illustrat Virtutes hunc Peruani;
Res Medicas plures se bene nosse probat.
Cortex ille fugat febres, et saepe fugavit;
Vfus habet laudem, crimen abufus habet.
Ergo opus est Medico, bene qui discernere novit,
Qualem TRETZELIVM, fpero daturus erit.
Alma Palaeome doctae praeponit Honorem
Frontis DOCTORI; et TRETZELIVM esse, fcio.
Delicium nostrum, cari spes magna PARENTIS,
Aegris et Sanis VIVE, VALEQVE DIV.

Praenobiliffimo et eruditiffimo
TRETZELIO ualde fuo,
Cognato honoratiffimo ac fuaviffimo
DOCTORIS nomen ex animo congratulatur
D. IO. IAC. IANTKE, P. P.
h. t. Decanus,
Vniuerfitatis Senior.

Col-

Colligis, en! uires laudatas corticis omnes.
 Dulcis et ecce latens e cortice nucleus exit,
 Sic illi, atque TIBI, nunc gloria magna paratur,
 Hocce labore TVI, simul eius, panditur usus.

Ita
NOBILISSIMO DOM. CANDIDATO
 honores medicos gratulatur,
 eumque faustis ominibus prosequitur
 D. IO. NIC. WEIS, Med. Prof. Publ.

TE iuuat egregias TRETZELI in cortice febris
 Scrutari uires, qui bona mira facit.
 Euge, bonum factum ! quot sunt hoc cortice uires,
 Tot laudes arri fert quoque, crede, TVAE.

Virtute et doctrina admodum praeclearo
DOM. CANDIDATO,
 gratulationis et honoris causa
 haec dedit
 D. IO. IAC. KIRSTEN,
 Med. Prof. Ord.



Impertit publice TRETZELIO SVO
Iam curae uigilis splendida praemia
Ars experta medendi
Electa et bene cognita.
TV certans labio nobile masculo
Certamen, patulis fissus honoribus,
Collaudaris amicis
Faustum quodque praecantibus.
Votis ingenuis adstipulabitur
NVMEN cunctipotens, cuius apertior
TE praeclara petentem
Adiuuit fauor haecenus.
Optatam referet nunc **TIBI** ianuam,
Qua congesta queas utilis edere.
Vere cuncta secundet,
Quae conaberis uspiam.
Ast ipsum quoque **TE** prosperet insimul,
Vt firmus uigeas ; ut medicus bonus,
Si **TV** sis aliorum ,
Sit **NVMEN** Tuus inuicem.

Ita

PRAESTANTISSIMO DOM. CANDIDATO

ex animo congratulatur

CAROLVS FRIDERICVS AICHINGER,

Ecclesiastes Sulzb.

Teutonum Ienensium atque Altorfinorum

Sodalis.

D

Vn

Vn ami medicin? la chose est dangereuse,
 Vous feliciterai - je, ou non?
 Oui, cette marque glorieuse,
 De mon amitié peut demander ce Don,
 Je crains, mais non Votre Sageſſe
 Peut faire, que je ne crains plus rien,
 Si Vous me portés de tendreſſe
 Aimés moi en Ami, mais pas en Medecin.
 Mon Amitié ſera ſans terme,
 Sans terme ſera mon Amour
 Et le feu que coeur renferme
 Ami avec ma vie verra ſon dernier jour.

MONSIEUR, mon très cher et très honoré AMI,
 ſouffrés que je Vous felicite les marques d'hon-
 neur, qui Vous ornent ſi dignement, et ne des-
 approuvés pas mon Amitié, qui ne pouvoit pas
 voir ce jour heureux ſans être touché au plus vif
 de Votre bonheur. J'ai l'honneur d'être
 Votre très - obéiſſant et très fidèle Serviteur et Ami,
 I. G. SCHLOSSER. Cand. en Droits.

Was ein entferntes Land, was Peru zu uns ſendet,
 Das muß gelehrter Freund! von DZK durchforſchet ſeyn.
 Wie ein geſchickter Arzt hierdurch viel Krankheit wendet,
 Das zeigt DEJN munterer Fleiß. So erndte demnach ein
 Die Frucht für DEJNE Müß; Hygea iſt zugegen,
 Sie hat den Purpur ſchon in der geweyhten Hand,
 Sie heiſt DEJH, ihren Sohn, ſie eilet DZK entgegen,
 Sie machet DEJNEN Ruhm in aller Welt bekandt.
 So lebe dann beglückt. DEJN Glanz und DEJNE Ehre,
 Erweltre ſich noch mehr, zu DEJNES Vatters Luſt.
 Nur göune mir zugleich, daß ſich die Freundschaft mehre,
 So bleibt mit Freud erfüllt die DZK ergebne Bruſt.

Mit dieſem will ſich dem Hochedelgebohrnen
 und Hochgelehrten Herrn Candidaten zu
 geneigten Angedenken und fernerer Freunde
 ſchaft gehorſamſt empfehlen, Deſſelben
 gehorſamer Diener und aufrichtiger Freund
 Johann Gottfried Wolff, Med. Cand. Oppon.
 Rus

Sur solchen, die durch Fleiß nach Lob und Ehre streben,
 Nur denen wird mit Recht der Doctorshut gegeben.
 Nicht aber solchen, die ihr Bestes schlecht betrachten,
 Und die den Fleiß und Ehr und Tugenden verachten.
 Freund! Du suchst heute nun den Lorbeer zu erlangen,
 Du kannst ihn billig auch mit Würdigkeit empfangen.
 Fleiß, Sitten, Gottesfurcht bekrönten **DEINE** Jugend,
 Du warst ein wahrer Freund von Redlichkeit und Tugend.
 O! fahr auch ferner fort, mich **DEINEN** Freund zu nennen;
 So kan nichts, als der Tod die festen Bande trennen.

Dieses wenzige fügte unter Anwünschung
 alles nur ersinnlichen Wohlergehens,
 zu einem ewigen Angedenken mit bei,

Georg Jacob Roth,
 der h. G. G. B. aus Weissenburg
 in Franken.

Wilt

Willst Du schon unsre Freundschaft trennen!
 O Freund! kaum lernte ich DICH kennen,
 Geliebter! so verleihe ich DICH.
 Doch jener Lorbeer, der DICH schmücket,
 Des Schicksals Hand, die DICH beglücket,
 Betrübt zugleich und tröstet mich.

Genieß der wohlverdienten Ehre,
 Freund! und vergieb die bange Zähre,
 Die ich bei DEINEM Glücke wein;
 Bei DEINEM Ruhm, bei meinem Schmerzen,
 Es soll die Lieb in unsern Herzen
 Stets unverbrüchlich, ewig seyn.


Mit diesen wenigen Zeilen empfiehlt sich dem
 Hochadelgebohrnen und Hochgelehrten Herrn
 Doctoranden
 Desselben
 gehorsamster Diener,
 Friedrich Albrecht Noth,
 der h. S. S. B.



VD 18

TICA





DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE
INSIGNI ET PRAESTANTISSIMO
V S V
CORTICIS PERUVIANI
IN MEDICINA

DIVINA AD
IVSSV ET
GRATIOSI ME

VNIVERSIT

PRO L
SVM MOS IN

PRIVILEGI
LEGITI
PVBLICIS MEDICO

ANDREAS
TRE
SOLISB.

D. XVI. IV N



ALTD
EX OFFICINA IC

